



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Peccator est stultus; peccatum stultitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

ris, & infamiâ perpetuâ hujus Mundi. Cajetanus hic.

Pro sua, & populi, ignorantia. Hebr. 9. 7. S. Thomas, Anselmus &c. per ignorantiam intelligunt quodvis peccatum. Nam ut Prov. 14. 22. *errant, qui operantur malum.* Et Aristoteles l. 3. Ethic. omnis malus est ignorans. Pl. 24. 7. *ignorantias meas ne memineris.* Cornelius hic.

Et cæcus. Apoc. 3. 17. quia seipsum non videbat; & alium se judicabat, quàm erat. Sylveira hic.

Ut visus oculorum, si fuerit vitiatus; quidquid videre non poterit, adesse non putat (frustrâ enim circumstat oculos præsens imago rerum, si oculis integritas desit:) ita etiam Deus, qui nusquam desit, frustrâ pollutis animis præsens est, quem videre cæcitas non potest. S. August. l. 83. qq. q. 12.

Quatuor sunt genera peccatorum, quæ homines maximè excœcant: nam cœcat homines humor avaritiæ, cœcat livor invidiæ, cœcat tumor superbiæ, & cœcat ardor luxuriæ. S. Bonaventura f. 41. in D. Quinq.

Dum demon furari vult, lumen rationis extinguit. In hoc est totus; ut propriam tibi miseriam celet; apprimè sciens, nec momentò te in ea mansurum, si illam cognosceres. Juglaris conc. 27.

Vide Avaritia. Libido. Ira.

§. III.

Peccator est stultus, peccatum stultitia.

Ex Veteri.

DA mihi de coctione hac rusa. Gen. 25. 30. In statu peccati pessima negotiatio est; ubi pro modica delectatione transitoria datur tota gloria paradisi: & propterea obligat se misera anima poenæ aternæ. Hugo Card. in Gen. 42.

Hæcine reddis Domino popule stulte, & insipiens? &c. Deut. 32. 6.

Nolite fratres, nolite facere malum hoc, & cessate ab hac stultitia. Judic. 19. 23. dicebat lenex ille Gabaonita, volens cives suos à libidine revocare.

Vidi stultum firmâ radice, & maledixi pulchritudini ejus. Job. 5. 3.

Intellectum tibi dabo. Pl. 31. 8. Consideremus, quàm aptè, quàm misericorditer, Christus introductus est loquens: ut, ipsò Judice promittente, spes poenitentibus certior appareret. Sed quid dicit? *intellectum tibi dabo.* Vides, quia peccatores non habent intellectum; nisi quando eum Dominus conversis propitiatus indulget: intelligere enim est bene agere, & ad mandata Dei vota convertere. Cassiodorus hic.

Vir insipiens non cognoscet ea; & stultus non intelliget hæc. Pl. 91. 7.

Prosperitas stultorum perdet illos. Prov. 1. 32.

Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. Prov. 24. 8. S. Hieron. hic: nè putat. *Polyantib. Sacra, Tom. II.*

res, stultum astimandum fuisse eum, quem hebetem, tardumque ingenio, videres; palam ostendit; quia ille stultus sit vocandus, qui vel cogitatione peccati suggestioni consentit; tamen acer ingenio videatur existere.

Stultus populus meus me non cognovit. Jer. 4. 22.

Ex Novo, & Patribus.

Stulte, hac nocte &c. Luc. 12. 20. Stultus verissimè est omnis peccator. 1. quia aternæ sapientiæ non consentit, neque obedit; sed potius per inobedientiam contrariatur, dum divina præcepta transgreditur. 2. quia illa sapientia, quæ est donum Dei, caret; & stultitiâ, puerilitatisque vitio, adimpletur: estque similis puero; qui poma, & pyra, aurò, & gemmis, prælegit: sic ipse spiritualibus, & aternis, transitoria, atque carnalia, præfert. Dion. Carthus. hic.

Dixit adolescentior ex illis patri. Luc. 15. 12. Si erat adolescentens ætate, multò adolescentior erat judicio, & moribus. Christus volens ostendere levitatem, & stultitiam, peccatoris, cum adolescentem vocat: nam plerumque adolescentes parum sciunt, judicij sunt exigui, pauca experti. Stella hic.

Semper malitia cum stultitia conjuncta est. Euseb. Emis. hom. de S. Blandina.

Nihil tam præter rationem est, quàm peccatum; nihil tam stultum, nihil tam fatuum, nihil tam vehemens: omnia evertit, confundit, perdit. &c. S. Chrysost. hom. 9. in ep. 1. Cor. 2.

Quoties quisque, peccati captus dulcedine, semetipsum perdit; profectò domum valde necessariam pro nihilo vendit. S. Rupertus l. 1. in Levit. c. 42.

Malus nunquam non stultus. S. Chrysol. f. 97.

Plus quàm trecenties in Scriptura peccatori nomen stultitiæ imponitur. Quanta stultitia! cum in peccato est Dei inimicus, ita securum esse, ac si nihil mali egisset. Si quispiam modò domum regis intraret, regemque impeteret districtò gladiò, ut eum jugularet; rex tamen servatus esset. Si post tale facinus non fugeret, non se absconderet, sed per mediam curiam securus incederet; quis insanum negaret? Orosius D. 1. Adv.

§. IV.

Peccator sit jumentum, bestia.

Ex Veteri.

TRia ponit Moyses. Gen. 1. 24. *reptile, bestias, jumenta.* Per quæ significantur illa tria. Joan. 2. 16. *omne quid est in Mundo &c.* Hæc tria de terra oriuntur: quia de amore terrenorum universa malitia ortum habet. Per reptile significantur cupidi, qui circa terram repunt: per jumenta luxuriosi: per bestias superbi. Hugo Card. hic.

Y y

Cum